



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Venerabili Eucharistiæ Sacramento Decisiones Theologico-Legales

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisionis XLVII. Ad Octobris Quæsitum secundum. Argumentum. Investigatur, quos effectus producat Eucharistia in corpore illius, qui dignè eam sumit? Ostenditur, esse quatuor præcipuos: Refrænationem ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94643](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94643)

ne connotati, & sic Eucharistiæ effectus primario producit secundam gratiam, at secundario potest conferre etiam primam. Ad sextum, negatur, quod ex hoc destruat prædicta Sacramentorum distinctio; liquidem ex doctrina adversariorum, Baptismus, & Pœnitentia per accidens assumunt naturam vivorum, etsi dicantur Sacramenta mortuorum. Ad ultimum respondetur, sufficere attritionem cognitam in Baptismo, & in Pœnitentia, quia illa duo Sacramenta ex sui natura ordinata sunt specificè ad conferendam primam gratiam habentibus attritionem. At in Eucharistia quia non est instituta ex hac specifica ratione; sed ex generica tantum; idè requirit vel contritionem in re, vel in prudenti existimatione accedentis; ita ut accedat cum bona fide, & sine obice; & ita accedit, qui oblitus est invincibiliter commissi peccati, vel putat inculpabiliter suam attritionem habere vim, & naturam contritionis; ut abundantius declarat Mastrius in cit. disp. 1. à n. 356. & seqq. & disp. 3. n. 397. Et in sua Theologia Morali disp. 18. n. 49. Gonet. d. tom. 5. de Sacramentis in genere disp. 3. à n. 181. & seqq. Et de Eucharistia disp. 8. n. 20. & seqq. Diana part. 3. tract. 6. ref. 98. Quæ est in tom. 2. Coordin. tract. 2. ref. 32. & in part. 5. tract. 13. resol. 23. Quæ coordinata est in tom. 1. tract. 1. resol. 23. & Reginaldus, ex gratia legendus lib. 26. n. 45.

- Quartus tandem effectus, quem operatur Eucharistia in illam dignè sumentibus, est remissio peccatorum venialium, ut habetur in Conc. Trid. d. sess. 13. c. 2. de Euch. ibi: *Tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur.* Et in Catechismo Romano sess. 51. ibi: *Remitti vero Eucharistia, & condonari leviora peccata, quæ venialia dici solent, non est quod dubitari queat.* Et adducit sententiam S. Ambrosii dicentis: lib. 4. de Sacram. c. 6. *Iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidiana infirmitatis.* Et de hoc omnes Theologi sunt unanimes. Porro non levis controversia est inter illos circa modum, quo fit hæc remissio venialium; Utrum scilicet ex opere operato; directè, & immediatè per virtutem Eucharistiæ absque ulla alia dispositione positiva ex parte suscipientis; modò tamen non habeat affectum positivum ad aliqua venialia? Vel hæc remissio fiat mediatè tantum, & indirecè; quatenus virtute susceptæ Eucharistiæ conferuntur auxilia, quibus suscipiens, eliciendo actus ferventes charitatis, doleat de venialibus, proponat imposterum illa cavere; & sic obineat eorum remissionem? Nonnulli DD. videlicet S. Thom. 3. part. 9. q. 79. art. 4. S. Bonavent. in 4. dist. 12. part. 2. dist. art. 1. qu. 3. Petrus de Soto lect. 12. de Euchar. autumant venialia deleri secundo modo, quia gratia Sacramenti non habet repugnantiam formalem cum peccatis venialibus; & sic non est impossibile cum eis; idè remissio venialium non procedit directè ab ipsa gratia, quæ elargitur in susceptione Eucharistiæ. Uterius sequeretur, à quocunque Communicante obtineri semper remissionem omnium venialium, quia nullus creditur reperiri, qui in actu communicandi delectationem habeat peccatorum venialium. Item venialia committuntur per propriam voluntatem; ergo retractari debent per propriam voluntatem, illa detestantem. Tandem Baptismus & Pœnitentia non delent venialia, nisi saltem attritione concurrente de iisdem; Igitur attritio erit necessaria etiam in Sacramento

Eucharistiæ, quæ mediante remittantur venialia, ita Becanus, Calpens, & alii apud Vasquez tom. 4. disp. 12. sect. 1.

E contra alii Theologi opinantur, in Eucharistiæ digna sumptione dimitti venialia immediatè, & directè; ac, ut dicunt Scholæ, ex opere operato; idèst, ex vi Sacramenti, non ex merito, vel alio interno motu susipientis, ut declarat Reginald. d. lib. 26. n. 46. Quod docent Suarez 3. par. q. 79. art. 4. sect. 10. Vasquez de Pœnit. q. 87. art. 3. dub. 2. n. 7. quibus assentitur Jo. Sanci in Select. disp. 22. n. 8. Moventur autem his rationibus. Primò, quia diverso utique, & altiori modo debent dimitti venialia per hoc Divinum Sacramentum quàm per Sacramentalia de quibus actum est Anno 1687, mense Decembri. Sed ex opere operantis Sacramentalia remittunt peccatum veniale, quatenus impetrant à Deo auxilia, quibus homo elicit actus retractantes culpas veniales, ut ex probabiliori opinione dictum fuit in primo Casu mensis Decembris 1687. Ergo per Eucharistiam convenit, venialia remitti ex opere operato, & ex sola virtute ipsius eximii Sacramenti. Secundò, quia etsi disputent DD. utrum attritio sit necessaria ad delenda venialia in suscipiente Sacramenta; videtur probabilior sententia, attritionem esse necessariam sine Sacramentis, non autem cum suscipiuntur Sacramenta, ad delenda venialia; quia sufficit in suscipiente Sacramenta minor dispositio, nempe actualis non complacencia venialium, & voluntas recipiendi effectum remedii, quod assumit, ut ex Soto, & Suarez probat Mastrius in 4. sent. de Sacram. Pœnitentia disp. 5. art. 2. Ergo multò magis ex solo augmento gratiæ, quod recipitur in Eucharistia, delentur venialia; quia tunc Communicans intendit intimiorem unionem cum Deo; & virtualiter detestatur venialia; quæ contrariantur eidem intimæ unioni.

In hac controversia facile est concordare utramque opinionem; concedendo, venialia deleri in Eucharistia mediatè, & indirecè, scilicet dando auxilia, quibus Communicans excitat in se actus ferventes charitatis, detestaturque etiam venialia, quæ displicent Deo: at non negando, posse etiam venialia remitti per solam virtutem Eucharistiæ, & ex opere operato, quatenus operatur unionem creaturæ cum suo Creatore; cujus amore accensa virtualiter detestatur etiam peccata venialia. Ita Mastrius; pluribus DD. citatis d. disp. 3. de Eucharistia. n. 399. & n. 400. Gobat tract. 4. n. 473. & 474. & Emin. Card. de Laurea de Eucharistia disp. 26. à n. 51. & num. 57. & seqq.

DECISIONIS XLVII.

Ad Octobris Quæsitum secundum.

ARGUMENTUM.

Investigatur, quos effectus producat Eucharistia in corpore illius, qui dignè eam sumit? Ostenditur, esse quatuor præcipuos: Refrænationem motuum carnalium. Dulcedinem spiritualem. Nutritum vitæ præsentis: & Futuram Resurrectionem gloriosam cum dotibus Impassibilitatis, Agilitatis, Subtilitatis, & Claritatis quæ omnia selectis Sanctorum exemplis confirmantur.

S. M.

SUMMARIU M.

- 1 Eucharistia producit quatuor effectus in corpore illam dignè suscipientis.
- 2 Eucharistia refranat motus concupiscentiæ, atque iræ.
- 3 Miles adorans Eucharistiam, genuflectit in luto, & non inquinatur.
- 4 Dulcedo sentitur in sumptione Eucharistia.
- 5 Exempla gustata dulcedinis in Communione Eucharistica.
- 6 Digni Sacerdotes tangentes panem illum dulcem reddunt.
- 7 Sacerdotes, & alii ex frequenti Communione quare non proficiant?
- 8 Eucharistia sola nutriti corporaliter Exempla.
- 9 B. Helena Enselmina Patavina à Sede Apostolica fuit juridicè Beata declarata die 8. Octobris 1695.
- 10 Homines quot diebus vivere possint sine cibo.
- 11 Exemplum femellæ, quæ ex Dæmonis astutia vivebat sine cibo?
- 12 Resurrectio gloriosa corporum effectus erit Eucharistia.
- 13 Dotes Corporis gloriosi quatuor, & harum prælium in hac vita ex Eucharistia.
- 14 Impassibilitatis Dotes exempla ex Eucharistia emanantis.
- 15 Agilitatis Dotes exempla ex Eucharistia provenientes.
- 16 Subtilitatis, seu Spiritualitatis corporis exempla ex Eucharistia.
- 17 Claritatis Dotes exempla in corporibus ob Eucharistiam.
- 18 Vita spiritualis habet ipsa quatuor Dotes, ut ex libello 24. Veritatum. In Verit. 22. punct. 1.
- 19 Vixit quatuor Veritatum libellus excerptus ex lib. Juliani Haynovii Soc. Jesu ab Autore anno 1681.

QUÆSITUM SECUNDUM.

Quosnam effectus producat Sacra Eucharistia in corpore, illam dignè suscipiente?

EX pluribus relatis per studiosos hujus Cleri hos quatuor principales collegi; & sunt: Refrenatio motuum carnalium; Dulcedo spiritualis, Nutricio vitam præsentis; & Resuscitatio ad futuram.

Quoad primum. Sacra Eucharistia in sumenti-
bus illam dignè refranat motus carnales; tum concupiscentiæ, tum iræ. De motibus concupiscentiæ extat illud testimonium Zacch. 9. *Quid est bonum ejus, & quid pulchrum ejus? nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Quod fuscè, & piè explicat S. Tho. *Opusc. 58. c. 26.* Et de motibus irascibilis illud *Ecl. 18.* *Nonne ardorem refrigerabit Ros?* Utique Ros est Christus incarnatus, & in Eucharistia susceptus, quem intense flagitabant SS. PP. exclamantes: *Rorate cæli de super, & nubes pluant justum. Isa. 45.* De utroque autem motu refranato locutus est S. Bern. in *Serm. de Cena Dom.* in illis verbis: *Si quis vestrum non tam sæpè modò, nec tam acerbos sentit motus iracundiæ, luxuriæ, invidia, aut caterorum hujusmodi, gratias agat Corpori, & Sanguini Domini, quoniam virtus operatur in eo Sacramento.* Quæ verba transcribit etiam

Eminent. Card. de Lauræa d. *disp. 26. num. 78. de Eucharist.* Et pro confirmatione præsentis effectus, quem Sacra Eucharistia operatur, refranans motus concupiscentiæ, & irascibilis, devotos non tædeat horum miraculorum sectionis. Narrat Cæsarius lib. 9. cap. 51. quod quidam Miles cum quodam die in platea equitaret luto, & pretiosis esset vestibus indutus, obvium habuit Corpus Domini, qui de equo profiliens, in luto flexis genibus Corpus Domini adoravit; factumque est, ut eo surgente, nec minima gutta aquæ, nec quidquam luti vestibus ejus adhereret. Consimile scribit P. Rhò in *Hist. Virtut. lib. 3. cap. 1. n. 6.* de Sylvestro Landino dicens: Cum luto in via obviam Divino Ferculo factus esset, profundo nihilominus in cæno genia posuit; verum ubi perfunctus adorationis officio surrexit, ut coram Deo eam fuisse religionem sciret, vestes nulla luti contagione fædatas circumspexit. Refert utrumque Bagatta in *Admiran. Orb. Christ. tom. 2. lib. 3. cap. 3. num. 20. & 21.* Igitur si Pietas erga Sacram Eucharistiam exteriores inducias à cæno præservat; quanto magis, ut ait Gobat in *Theol. Experim. tract. 4. n. 476.* In ipsum quoque corpus hominis redundabit energia hujus cibi celestis; ita quidem, ut per eam mitigetur fomes peccati, compescatur, seu refranetur pravus appetitus, atque inclinatio in malum; quod latius prosequitur Suarez de *Eucharist. disp. 64. sect. 1.*

Quoad secundum. Ex devota receptione Sanctissimæ Eucharistiæ dulcedo, & suavitas spiritualis à recipiente sentitur, ut probat S. Thom. 3. p. 9. q. 79. art. 1. ad 2. Et canit Ecclesia in primis Versibus Corporis Christi. *O quam suavis est Domine Spiritus tuus; qui, ut dulcedinem tuam in filios demonstrares pane suavissimo de calo præfrito esurientes repleti bonis.* Habeturque in *Psal. 33. Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus.* De hoc mirabili effectui infinita propemodum allegari possent exempla, quæ in legendis vitis Sanctorum obvia habentur: sed hæc pauca liber delibare ex his, quæ cumulat P. Bagatta d. *tom. 2. lib. 3. cap. 3. §. 6.* ex sequentibus auctoribus. I. S. Eleazarus Comes retulit quandoque Virgineæ Uxori suæ, cum Christi Corpus acciperet, videri sibi optimum saccharum se deglutire. Ex Henrico Sedulio in *ejus Vita cap. 20.* II. Beata Angela de Fulgineo sic suo Confessario referebat. A parvo tempore quando communico, Hostia extenditur in ore, & non habet saporem panis, nec carnis, quam comedimus, sed alium saporem carnis, & saporem sapidissimum, quem nescio assimilare alicui rei de mundo. Arnoldus in *ejus Vita cap. 7.* III. Legitur, Monachum quemdam, quoties Sanctam Synaxim infumebat, toties sibi visum, favum mellis fumere, cujus suavitas illi in ore triduum ipsam perdurabat. Ita in *Chronica Cisterciensibus.* IV. S. Maria Oegnicensis, dum Christi Corpus accipiebat, magna in ore dulcedine, eo tempore, fruebatur. Jacobus à Vitriaco in *ejus Vita lib. 2. cap. 12.* V. Venerab. Ursula Benincasa, cum ob suas infirmitates maximam pateretur ciborum inappetentiam, ita ut nullo modo posset comedere; panem tamen Sacerdotum digitis tactum, absque ulla nausea, vel molestia comedebat; immò ex illorum digitorum contactu, maximam pani illi dulcedinem inditam affirmabat, (notent id Sacerdotes, & discant innocentes servare manus suas.) In *ejus Ursule vita cap. 35.* VI. Soror Maria Villana Ordinis Prædicatorum

catorum tanta ne dum animæ, sed & corporis afficiebatur suavitate, & robore, pane ecclesiæ exalturata, ut post Sacre Eucharistiæ sumptionem ad multas horas dulcissimam suavitatem ore degustaret; suavissimumque ex faucibus exhalaret odorem. Dominicus Maria Marchesius in ejus *Vita Mense Augusto die 21. VII.* De Sanctis aliis pluribus referuntur consimilia exempla à Nicolao Laghi de *Miraculis SS. Sacramenti tract. 2. dist. 4.* Sed satis sit id, quod legitur de S. Philippo Nerio in ejus *Vita lib. 2. cap. 2. n. 13.* ipsissimis his verbis: *Nel prendere il Corpo del Signore, sentiva straordinaria dolcezza, facendo tutti quegli atti, che sogliono far coloro, che gustano di qualche soavissima vivanda.*

Sed hic liceat interrogare lectorem verbis P. Gobati d. tract. 4. n. 481. Scilicet, qui fiat, quod (pro dolor) tam multi Sacerdotes Seculares, ac religiosi ex quotidiana; tam multi Laici ex obliuiana Communionem (non solum dulcedinem illam non sentiant) sed adeo parum, aut nihil videantur proficere in spiritu? Inveniet Lector pius responsum tum apud Rodriquez in *Exercit. Perfect. part. 2. tract. 8. cap. 13.* tum apud Mansum in *suo Vero Ecclesiastico lib. 14. cap. 12.* Satis est fingere hoc dilemma. Vel celebrantes materialiter tantum celebrant, veloci lingua, volante mente, abeunte corde in res mundanas, & de his dicit B. Albertus Magnus de *Eucharist. dist. 3. tract. 3. cap. 1.* Non datur Manna nisi in deserto; sic non sentitur dulcedo gratiæ, & sapor Eucharistiæ nisi ab his, qui se in desertum corde transferunt, ut mundanas non sentiant delectationes. Vel cum cordis munditie, & debita cum præparatione litant; & de his respondet Emin. Card. de Lauræa de *Euchar. d. disp. 26. n. 85.* Ratio, cur non semper, & non statim gustatur dulcedo spiritualis, est vel passio corporea trahens secum voluntatem, & intellectum, ne cogitationibus illis objectorum supernaturalium vacent. Vel quia Deus ad tempus eos privat, & in alio tempore opportuniori eam elargietur. Sufficit, quod Sacramentum illud, quantum est de se, eam suavitatem, & dulcedinem causet. Utinam omnes Sacerdotes hæc saperent, & intelligerent.

Quod ad Tertium effectum: Sacra Eucharistia nutriti, absque alio cibo, plurimi, in tot transfactis 8 sæculis, diu vixerunt, licet mortali carne induti, in argumentum æternæ vitæ, quam Salvator promissit manducantibus Divinum Panem, quorum viginti exempla fuerunt per me allegata supra *Decis. 7. n. 2.* ex sacris Historiis decerpta, quibus hic duo addere libuit. Unum, de Sancto Petro de Alcantara; de quo sic legitur in *lett. 6. Brev. Rom. die 19. Octobr.* Gratia contemplationis admirabilis in eo fuit, quæ tum assidue spiritus reficeretur, interdum accidit, ut ab omni cibo, & potu pluribus diebus abstinuerit. Alterum de Beata Helena Enselmina Nobili Patavina, de qua sic scribit Scardeon. *lib. 2. antiqu. cl. 6.* Mirabile dictu? Vixit menses tres absque cibo corporali. Quod confirmat Wading. in *Annal. rom. 1. Ann. 1241.* & Rudolf. Tuffignan. in *Histor. Seraphic. lib. 1.* Beata Helena Enselmina orta est Patavii Anno Domini 1208. cumque paulò post constructum esset Monasterium Monialium Ordinis S. Claræ extra muros Paduæ in Contrata dicta Ara Cæli, vulgò *Arçella*; (quæ tunc erat sub Parochia mææ Præposituræ tituli Sanctissimæ Trinitatis,) in ipso Religiosa facta est B. Helena sub directione S. Antonii Patavini tunc viventis, & brevi per omnium virtutum semitas incedens ad

perfectionis, & sanctitatis apicem pervenit, ad cælumque ex hac Vita evolavit Anno 1242. Ejus corpus miraculis redolens incorruptum adhuc servatur post annos 454. & tanquam Virginis beatæ veneratur, & colitur. Super ejus cultu immemorabili quatuor ab hinc annis ego tanquam Subpromotor fidei specialiter deputatus processum formavi ad normam Decretorum S. M. Innocentii Papæ XI. eoque rigorosè Romæ examinato Sacra Rituum Congregat. tandem emanavit sequens Decretum. *Patavina Beatificationis, seu Canonizationis Servæ Dei Helena Enselmina Beata nuncupata Ordinis Sancti Francisci.* Ad supplices instantias R. P. M. Felicis Rotondi Ordinis Minorum Conventualium Ministri Generalis, Patrisque Magistri Balthasar Milazzo Collegii S. Bonaventuræ Regentis, & causæ Beatificationis, seu Canonizationis prædictæ Servæ Dei Helene Enselminæ, Beatæ nuncupatæ Postulatoris, propositio in Sacra Rituum Congregatione ab Emin. & Reverendis. DD. Cardinali Colloredo Ponente, Dubio: An sententia Emin. & Reverendis. D. D. Cardin. Barbadii Episcopi Patavini, sive ejus Delegatorum, super cultu immemorabili, & casu excepto à Decretis fel. rec. Urbani Papæ VIII. lata; sit confirmanda, vel infirmanda in casu, & ad effectum, de quo agitur? Sacra eadem Congregatio, audito tam in scriptis, quam in voce Reverendis. Archiepiscopo Myren. Fidei Promotore, prædictam sententiam esse confirmandam censuit; si Sanctissimo Domino Nostro visum fuerit. Die 8. Octobris 1695. Facta igitur deinde Sanctissimo Domino Nostro per me Secretarium, de prædictis relatione, Sanctitas sua benigne annuit; die 29. ejusdem Mensis, & Anni 1695.

A Card. Cibo.

Loco ✝ Sigilli.

B. Inghirami Sacr. Rituum Congreg. Secretarius.

Porro virtute Sanctissimæ Eucharistiæ patrata fuisse superscripta, ac in aliis Sanctis, Viris exemplis nemo dubitare potest: nam, etsi per integrum triduum posse hominem tolerare famem, ac sitim, nullo remedio adhibito, constet ex Scriptura Sacra, in 1. Reg. 30. 12. ubi vir ille Ægyptius non comederat, neque biberat tribus diebus & tribus noctibus. In Tob. 3. 10. ubi Sara Tobie junioris uxor per triduum pariter abstinuerat ab omni cibo, & Esther. 4. 16. Ubi Regina Esther gentiles suos adhortata fuit, ut non comederent, neque biberent quidquam tribus diebus, & noctibus; idemque se facturam cum ancillis suis spondit. Et Græci, ut refert Lucianus, in suis funeribus totum triduum absque ullo cibo transigebant; & Sacerdotes Ægyptii, ut scribit D. Hieronymus *lib. 2. contra Jovinian.* bidui, tridivè inedia tolerabant; immò ultra triduum posse hominem absque cibo vivere (sed per paucos dies) testatur Medici, Hippocrates *lib. de Principiis*, ubi statuit, vitam hominis septem diebus, sed non ultra absque cibo consistere, & idem fecit Varro apud Aul. Gellium *lib. 3. cap. 10. in fine*, & Galenus *l. 1. Aphor. 15.* quamvis Homini non atque septimo lethalis inedia, nam durasse & ultra undecimum

nam plerosque certum est, scribat Plinius lib. 11. cap. ult. ea ratione, quia varios dies absque cibo pluries vixerunt pro varietate temperamenti, & constitutionis corporum, in quibus sæpè humores phlegmatici, crudi, lenti, atque viscosi deserviunt pro alimento, ut ex observatione Medicorum Langii, Quercetani, & Sennerti notat Schottus in sua *Physica Curiosa* lib. 3. cap. 14. §. 2. Martin Delrius *Disquis. Magicar.* lib. 2. q. 21. & Zacchias in *quæst. Medicolegal.* lib. 4. tit. 1. qu. 10. Nihilominus per triginta, & quadraginta, ac ulteriores dies in Sanctis hominibus virtus Sacratissima Hostiæ operata est nutrimentum, quod à sola natura, & à virtute tantum naturali cuiusvis hominis frustra expectaretur; immò ipsa Divina Eucharistia destruxit aliquando præstigia Dæmonis, conantis inedia, occultata arte, astruere in quadam femella; ut narrat S. Prosper de *Dimid. tempor.* cap. 6. relatus ab eodem P. Gasp. Schotto d. cap. 14. §. 3.

11 Fuit enim juvencula, natione Araba cujus gutturi meatus diabolus occupaverat, & per septuaginta dies cibum deglutire non permiserat, sed de nocte sub avis specie sibi ore, nesciens quid, infundebat; quæ liberata remansit sumptione Eucharistici Sacramenti, cujus S. Properi, sunt verba sequentia: *Ascendente nobiscum Sacerdote, ut matutinum illi Sacrificium solito offerretur, puellam Propositus ad Altare perduxit, eo ingressu, & habitu, quo solent rubore perfusa ex epulis, poculisque mulieres advenire. Peracto itaque Sacrificio, cum eadem inzer cæteris brevem particulam Corporis Domini tinctam à Sacerdote perciperet. Recole, quæ dicta sunt supra de tincta Synaxi Decis. XIV. n. 8. Mensis Martii; & scito hanc narrationem contigisse in quinto sæculo, nam S. Prosper vivebat anno 445. (ut ex Card. Bellarm. de *Scriptorib. Eccles.*) Seniores mandens transire non valuit, nondum illo fugato, de quodicit Apostolus; *Quæ consonantia Christi ad Belial? Et iterum. Non potestis Calicem Domini bibere, & calicem demoniorum, non potestis Mensam Domini participare, & mensam demoniorum. Manu igitur faciem ejus sustentante Sacerdote, ne Sanctum projiceret, à quodam Diacono suggestum est, ut Calicem salutarem gutturi ejus Pontifex applicaret. Quod, ut factum est, statim ut locum illum, quem diabolus obsederat, Salvatoris imperio reliquit, Sacramentum, quod ore gestabat, cum laude Redemptoris transfudit puella clamavit. Hinc lætitia, hinc voces in gloriam Dei, quod post octoginta, & duos dies, diabolo expulso, puella de potestate fuerit eruta inimici. Hæc S. Prosper.**

12 Quoad Quartum effectum. Ex virtute Eucharisticæ communionis processura est etiam Resurrectio gloriosa corporum nostrorum, juxta promissionem Christi Domini in illis verbis: *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam eternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.* Joan. 6. 54. De cujus quidem promissionis fideli adimplemento tractant Suarez de *Euchar.* disp. 64. sect. 2. Eminent. Card. de Lauræa eod. tr. disp. 26. in fine. Colleg. Salmanticen. de *Sacram. tract.* 4. cap. 6. n. 43. & 44. Gobat d. tract. 4. n. 479. & fusius Gonet. d. tom. 5. de *Eucharist.* disp. 8. à n. 13. & seqq. ubi plurima SS. Patrum testimonia adducit, & præcipue S. Cyrilli Alexandrini in cap. 6. Joan. de hoc differentis & rationes validissimas allegantis, inter quas; quod caro Christi vivificatura est corpora nostra, quia ipsa tanquam ineffabiliter conjuncta Verbo, à

quo universa vivificantur, est de per se vivificatrix; idcirco Dominus Jesus in hac vita dum esset, alios mortuos suscitavit imperio vocis suæ, alios autem contactu suæ carnis.

Cæterum, quia Resurrectionis gloriosæ corporum nostrorum quatuor erunt dotes, Impassibilitas, Agilitas, Subtilitas, & Claritas S. Thom. 3. p. 2. q. 45. art. 1. Em. Card. de Lauræa in 4. sent. tom. 4. tota disp. 21. & Maltrius in *Theolog. Mor.* disp. 25. q. 4. pro quibus data nunc est nobis in pignus Sacra Eucharistia, de qua canit Ecclesia; *& futura gloria nobis pignus datur;* observare liceat, manifesta signa earundem dotum in servorum Dei corporibus, quamvis nondum vita mortali exuit, emicantium.

Pro Impassibilitate reassumantur hic exempli illorum, qui ex inedia longæva nullam sentiebant ærumnam, paulò ante relata. His addamus. I. quod Satyrus Sancti Ambrosii Frater, Eucharistiam collo appensam habens, incolumis in naufragio servatus fuit; teste Card. Baronio Ann. 383. II. Confimile de S. Bynno narrat Surius 3. *Decembris.* III. Maximianus, postea Syracusarum Episcopus effectus, cum aliis in Adriatico Mari in gravem tempestatem incidit. Desperata salute, quilibet peccata sua confessus est, sumptaque Sacra Eucharistia, Deo se commendavit. Navis diebus octo, aquis plena usque ad superiores tabulas, iter proprium peragens enavit. Nono demum die in portum delata; simulac homines ex navi sunt egressi in conspectu omoiium submersa est ex S. Gregor. *Papa* lib. 3. *Dialog.* cap. 36. IV. Puer autem ille, filius Hebræi Vitriarii, à patre in clibanum ignis ardentis projectus, eo quia cum aliis pueris Christianis, Sacram Synaxim (ut mos tunc erat) comedisset, & à Deipara mirabiliter illæsus ab igne servatus est, ut scribit Evangelii lib. 4. cap. 36. unà cum supradictis casibus, aliisque brevitate causa omisiss. Impassibilitatis dotem futuram, virtute Eucharistici panis, astruit in corporibus resurrecturis immortalibus, dum adhuc in carne mortali mortem pati non potuerunt tot, & tanti Sacra Communionem muniti.

Pro Agilitatis dote testantur elevationes mirabiles in aera. I. Sancti Philippi Neri, Sacramentum Eucharisticum dispensantis lib. 2. ejus *Vita* cap. 1. II. Sancti Francisci Xaverii in eodem sacro ministerio, Turcellin. in ejus *Vita* lib. 6. cap. 5. III. Sancti Ignatii de Loyola Missam Celebrantis: Ex *Processu Canonizat.* fol. 199. & in ejus *Vita*, typis data *Venetiis* Ao. 1687. ad p. 216. IV. S. Teresie devote communionem Sacram recipientis. Didacus de Jeps Episc. Tarraconen. in ejus *Vita* l. 3. c. 20. V. S. Mariæ Egyptiacæ gradientis super aquas Jordanis, ut Sacram Eucharistiam ab Abbate Zulimo posset accipere. Surius die 9. Aprilis. VI. Sanctæ Christinæ mox Eucharistico cibo roboratæ Mosam, Gallie Belgicæ fluvium maximum fœcis pedibus transeuntis. Nicol. Laghi, de *Mirac. SS. Sacram. tract.* 2. disp. 3. c. 15. VII. S. Birgittæ Virginis Hiberniensis, per maris undas pulcherrimam Casulam ad divinum Sacrificium celebrandum præparatam, in fiscella scirpea inclusam, ad S. Senanum Abbatem mittentis, & ab eo Sacram Eucharistiam in eadem fiscella obsignatam, mare obsequente, ac deferente, recipientis: necnon B. Canneræ Virginis ex desiderio Communionis Dominicæ ad eundem Sanctum Abbatem super undas maris ambulantis; illam Deo dirigente, cui mare, & venti obediunt; ut ex Godof. Hen-

Henschenio Soc. *Jesu in Vita S. Senani Abb. 8. Martii* transcribit Carol. Gregor. Rohgnoli, in *Mirabilib. Dei in Sanctis suis* part. 2. *Mirab. 16. VIII.* His addatur, quod legitur de Sancto Petro de Alcantara, qui in aera frequenter sublatus miro fulgore coruscare visus est; & rapidos fluvios sicope de trajecit. *Brev. Rom. lect. 5. IX.* Et de S. Hyacinto Confessore, quem maximis Deus miraculis illustravit; Interque illud insigne, quod Fandalum fluvium prope Visogradum aquis redundantem nullo navigio usui trajecit, sociis quoque expanso super undas pallio traductis. *In Breviar. Rom. lect. 6. X.* Item de S. Raymundo de Peniafort, qui ex Insula Baleari majori Barcinonem reversurus, strato super aquas pallio, centum sexaginta miliaria sex horis confecit, & suum Cœnobium januis clausisset ingressus, *Breviar. Rom. lect. 6. XI.* Pariter de S. Francisco de Paula, cujus multis miraculis, Sanctitatem Deus testari voluit; quorum illud in primis celebre, quod à nautis rejectus, Sicilia fretum strato super fluctibus pallio cum socio transmisit. *Idem Brev. Rom. lect. 6.* En igitur Agilitatis dos communicata vitis Sanctis etiam in corpore mortali, præcipue ob ardentem eorum charitatem, & devotam frequentiam Sacramenti Corporis, & sanguinis Jesu Christi, qui hujus dotis est auctor, & Dominus, quam etiam discipulis suis ostendit, dum venit ad eos ambulans super mare. S. Thom. 2. p. 3. q. 45. art. 1.

Dos Subilitatis, sive Spiritualitatis in corporibus gloriosis resurrectionis, operabitur in illis, ut sint similes spiritibus, & omne solidum possint penetrare, sicut Christus Dominus resurgens ex mortuis de sepulchro clauso exivit, & ingressus est, ubi erant discipuli, etsi fores essent clausæ; idè ait S. Jo. Damascen. lib. 4. de fide Orthodoxa cap. 28. *Resurget corpus spirituale, subtile; hoc enim significat spiritale; quale post resurrectionem Corpus Domini erat, cum per januas clausas transiret.* Quod latè probat SS. Patrum auctoritatibus, & rationibus Emin. Card. de Lauræa in 4. Sent. d. tom. 4. de Beatitudine Corporum disp. 21. art. 7. Hanc igitur Dotem, iisdem corporibus gloriosis impertientiam, virtute Sanctissimæ Eucharistiæ, confirmant transitus miraculosi plurimorum Servorum Dei, erga Sacram Synaxim summa devotione affectuorum; qui adhuc in mortali hoc ergastulo, tamquam puri spiritus, ambulantes super pennas ventorum, veloces in longinqua transmeare, & loca clausa penetrare potuerunt; quorum nonnulla exempla brevi manu cumulo. I. In actis Apost. cap. 8. Postquam Philippus Diaconus sacro fonte proluerat Eunuchum Regina Candacis in Gaza, raptus est à spiritu Domini; & mox inventus est in Azoto. II. S. Joannes Damascen. Orat. 2. de Dormitione Deipare ait: Ex antiqua traditione accepimus, quod tempore gloriosæ dormitionis Beatæ MARIE VIRGINIS MATRIS DEI, universi Sancti Apostoli, qui orbem terræ ad salutem hominum peragrabant, momento temporis in sublime elati convenerint Hierosolymis. III. Cardin. Baron. anno 546. notat, quod cum Georgius Abbas in monte Sina impensè cuperet, ultimo vitæ suæ anno Sacram Eucharistiam sumere, ipsa nocte anniversaria Christi Domini resurgentis, in Ecclesiam Hierosolymitanam illuc ex monte Sina subito deportatus est, actisque mysteriis, Deus cellulæ ipsum eadem nocte restituit. IV. In Annal. Minor. ann. 1231. n. 23. nar-

ratur insignis illa Divi Antonii Confessoris ex hac Urbe Patavina Ulyssipponem transvolatio, ubi genitorem suum ab impostura homicidii liberavit; toto die cum parentibus stetit, & sequenti manè Paduam more Angelico reversus fuit. V. At de ingressu januis clausis dictum est supra, Sanctum Raymundum de Peniafort, transacto mare super pallio, Cœnobium suum introisse foribus clausis. VI. Sanctus Eminoldus Abbas, quadam die cum ante fores clausas Ecclesiæ staret, Custos prope cursu circumiens, aperire Ecclesiæ Abbati properavit, at eum januis clausis in Ecclesiam ingressum, orantemque invenit. VII. Pater Martinus Abbas, quodam tempore clausis ostiis, fratribusque in superioribus solariis sedentibus, ipse ingressus est ad eos. VIII. Beata Clara de Agolantibus fundatrix Monialium Angelorum Arimini, cum esset solita in Viridario Conventus coram Imagine Salvatoris seipsam doris flagellis cedere, Moniales ostium viridarii clavis, serraque obserarunt; sed ipsa portas, murumque penetrando, intactis seris in hortum ibat, & cruento sui corporis Sacrificio vacabat, Monialibus maximo cum stupore observantibus; nā de his tribus testatur Jo. Bonifac. Bagatta in Admirand. Orb. Chrst. tom. 1. lib. 5. cap. 5. n. 44. 45. & 46.

Tandem dotem Claritatis consequuntur in resurrectione corpora eorum, qui devotione in Sacram Eucharistiam exarserint; juxta Apostoli expectationem: *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit Corpus humilitatis nostræ, configuratum Corpori claritatis suæ.* Ad Philipp. 3. 20. Ubi glossa Interlinearis ait: *Assimilabitur Corpori illius in claritate, quam habuit in transfiguratione;* de qua quidem dote Claritatis pie, ac eruditè disputat Emin. Card. de Lauræa in cit. tom. 4. in 4. sent. disp. 21. art. 5. ubi examinat verè, & propriè quid erit ipsa Claritas corporum beatorum? Necnon, utrum eadem corpora beata futura sint luminosa pervia, seu perspicua, ac diaphana? Aut lucida densa, & opaca? Quæ legisse lectorem non pigebit, prout ea, quæ scribit de iisdem questionibus Mastrius in Theol. Morali disp. 25. n. 82. & 83. Porro quod attinet ad probationem dotis hujusmodi exemplis Sanctorum, nimium laboriosum esset illa referre, cum frequentissime, in omni sæculo servi, ac famulæ Dei donati fuerint hac dote Claritatis corporalis, dum essent in hac vita mortali, præcipue tempore Communionis Eucharistiæ, ut videre est apud d. Jo. Bonifacium Bagattam in cit. tom. 1. lib. 1. cap. 1. §. 4. ubi centena, & ultra cumulat exempla; & tom. 2. lib. 3. cap. 3. §. 6. ex quibus hæc pauca sufficient. I. Sancta Catharina Senensis pluries, sed præcipue cum ad altare ad communicandum accederet, faciem rubicundam, & emicantem habebat, *Ex ejus Vita Bagatta dict. §. 6. n. 17.* II. in Gallia Sanctus Sylvanus Monachus, & faciem Sole clatiorem, & vestimenta ut nivem dealbata visus est possidere, dum Sacram Eucharistiam acciperet. In Menolog. Cisterciens. 12. Kal. Martii. III. Beatam Margaritam Abbatissam Vallisgratiæ, Sacra Eucharistia percepta, plures intuiti sunt cum Angelica facie immenso splendore colloquentem. Ugo Menard. de eadem. IV. Beata Catharina Bononiensis pallescebat semper jejuniis, & ab ipsa natura erat deformi facie; sed dum Eucharistiam sumebat Sacramentum, pulcherrima videbatur. Vadingus in Annal. Minor. de ead. ann. 1463. V. Venerandam Agnetem de Santillon Sanctimonialem Ordinis

Ordinis Cisterciensis affirmabant seniores vidisse, quoties ipsa Sacram Communionem accepisset, roseo plane colore perfusam; cum talis aliis vultu pallida semper esset. Arnold. Rayssius in *Auct. de eadem* 28. Martii. VI. Frater Ruffinus à S. Urso Capuccinus cum sacrum Domini corpus populo spectandum attolleret, vultum solis instar emicantem præseferbat. Boverius in *Annal. Capuccinor.* Ann. 1575. De Sanctis in hoc præsentis sæculo Canonizatis, Carolo, Philippo Nerio, Teresa, Ignatio, Francisco Xaverio, De Sales, Borgia, Cajetano, Magdalena de Pazzis, aliisque superfluum est splendoris vultuum, & vestimentorum, dum adhuc viverent, referre: leguntur enim passim in eorum Vitis, & Bullis Pontificiis Canonizationis eorum. Concedat misericors, & pius Redemptor noster; ita nos esse devotos erga Venerabile sui Corporis, & Sanguinis Sacramentum, ut supra relatam quatuor gloriosas Dotes in resurrectione corporum mereamur adipisci. At, quia proficua est spiritualis vita, pro obtinenda gloriosa, studeamus nunc ascendere ad vitam spiritualem, ut possimus transire ad immortalē. Habet vita spiritualis quatuor easdem Dotes, ut docet scriptis Julianus Haynovius Soc. JESU in lib. 24. *Veritatum* 18 (à me compendiosè, & Italico sermone pro usu hujus Seminarii Patavini ann. 1681. transcriptarum) in Vigesima secunda quarum puncto primo, sic legitur: *La Vita spirituale ha le sue Doti à similitudine della Vita gloriosa; poiche da all' intelletto il dono della Chiarezza, con cui conosciamo la Verità eterne; & coll' uso, & esercizio loro diventiamo riguar-* 19 *devoli. Alla Volontà nostra conferisce il dono dell' Agilità, col quale siamo fatti tanto pronti ad ogni cenno del Divino Volere, che lo accettiamo, & lo mettiamo in esecuzione senza tardanza. Rende degno il nostro Appetito Concupiscibile della Dote dell' Impassibilità in modo, che non siamo più molestati da movimenti sensuali. E all' Appetito irascibile compartecipa la Dote della Spiritualità, o fortiglierza, la quale ci fa trascendere, & trapassare tutte le difficoltà, siccome a Corpi gloriosi ogni cosa è aperta, & senza ostacolo alcuno. Igitur has Dotes in præsentis vita imploremus humili corde ab Eucharistia Sacrosancta, ut ab eadem Dotes gloriosas recipiamus in futura.*

DECISIONIS XLVIII.

Ad Octobris primum Casum.

ARGUMENTUM.

Disputatur, an qui communicat, tempore Paschali, in Ecclesia Cathedrali, & non in propria Parochia, satisfaciat Præcepto *Can. Omnis Utriusque sexus. De Pœnit. & Remiss.* Proponuntur argumenta pro affirmativa opinione. Deinde pro negativa, quæ amplectitur in resolutione casus, evacuatis argumentis contrariis, & relatis non inelegantibus, eruditionibus circa Cathedralem Patavinam, & Congregationem Parochorum ejusdem Civitatis.

Doct. Clericali Tom. I. Lib. II.

SUMMARIUM.

- 1 Fideles olim Atissimè audire, & Sacramenta recipere tenebantur in propria Ecclesia.
- 2 Regularibus concessum dispensare Eucharistiam fidelibus præterquam per Viaticum, & tempore de Præcepto.
- 3 Eucharistia recipienda per fideles de præcepto semel in anno, tempore Paschali, à proprio Parocho.
- 4 Præcepto Communionis Paschalis an satisfaciat communicans in Cathedrali?
- 5 Cathedralis Ecclesia est Parochia totius Civitatis, & Diœcesis.
- 6 Cathedralis Ecclesia unde dicta?
- 7 Episcopus potest dispensare Sacramenta omnibus de sua Civitate, & Diœcesi.
- 8 Penitentes olim tenebantur se præsentare Episcopo pro absolutione, scilicet Publici, num. 27.
- 9 Archipresbyteri Ecclesie Cathedralis officium est administrare Sacramenta.
- 10 Doctores, qui tenent posse in Paschate communionem fieri in Ecclesia Cathedrali?
- 11 Consuetudo facit, ut communicantes in Cathedrali satisfaciant Præcepto de Communione Paschali.
- 12 Communicans in Cathedrali, absque licentia Parocho, non satisfacit Præcepto de Communione Paschali.
- 13 Communio Paschalis recipienda est à proprio Parocho.
- 14 Parochia debent esse distinctæ.
- 15 Matrimonium contrahi non potest coram Archipresbytero Ecclesie Cathedralis ab iis, qui stant sub aliena Parochia.
- 16 Archipresbyter, & alii Curati Ecclesie Cathedralis non possunt dare Viaticum, vel Extremam Unionem habitantibus in aliena Parochia.
- 17 Absurda plurima orirentur, si illi de Ecclesia Cathedrali possent dare Sacramenta alienis Parochianis.
- 18 Doctores tenentes, Communicantem in Cathedrali, non satisfacere Præcepto.
- 19 Lex ubi non distinguit, nec nos distinguere debemus.
- 20 Ecclesia Cathedralis erat sola antiquis temporibus in omni Diœcesi.
- 21 Cathedralis Ecclesia Patavina usque ad annum 624. fuit, ubi est Ecclesia Sancta Sophia; & erat unica Parochia Civitatis.
- 22 Congregatio Parochorum Paduæ quando, & à quo instituta?
- 23 Cathedralis Ecclesia Patavina baptizat omnes infantes, à Sabbato sancto usque ad Dominicam in albis, in memoriam antiquæ sue universalis Parochialitatis in urbe.
- 24 Parochi Patavini habent stallum, & locum in Choro Ecclesie Cathedralis, & jus intonandi Litaniis, & deferendi sacras Reliquias in Processionibus, in signum, quod sint de gremio Cathedralis, & ejus veri, ac antiqui Capellani.

Q

25 Ar.